

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 5508

**Auteur(s) :** Coutances (official)

**Bénéficiaire(s) :** Julien de Zancate, Coutances (chanoine)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1297, 30 avril

**Lieu d'émission :** Coutances

**Action juridique :** autre

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Richard d'Isigny et son fils ratifient la vente faite par Nicolas de Maeserey et sa femme à Julien de Zancate, chanoine de Coutances.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Fontanel Julie, *Le cartulaire du chapitre cathédral de Coutances*, Saint-Lô, Archives départementales de la Manche (Sources inédites sur l'histoire du département de la Manche ; 1), 2003, n° 320, p. 458-460.

Texte établi d'après a

Universis hec visuris, officialis Constanciensis, salutem in Domino. Noveritis quod, anno Domini M° CC° nonagesimo septimo, die martis ante festum apostolorum Philippi et Jacobi, presentes in jure coram nobis Ricardus de Ysigneyo, scutifer, et Ricardus de Ysigneyo, ejus filius, cum auctoritate prefati Ricardi eidem filio ad ea que sequuntur prestita, coram nobis recognoverunt spontanee se ratas et gratas habuisse et habere venditionem, concessionem ac dimissionem sex bussellorum frumenti ad mensuram Constanciensem annui redditus ad festum sancti Michaelis, finaliter factas venerabili viro Juliano de Zancato, canonico Constanciensi, a Nicolao de Maeserey et Petronilla ejus uxore, sorore Roberti Basirie. Quem redditum Petrus Basirie, pater ipsorum Roberti et Petronille, dederat in dotem seu maritagium eidem Petronille cum dicto Nicolao, eundemque redditum ipsis Nicolao et Petronille assignaverat idem pater supra quamdam peciam terre sitam in parrochia de Chambernon duas acras integre continentem, et specialiter obligaverat eisdem Nicolao et Petronille ad faciendam ibidem suam justiciam plenariam pro dicto redditu nisi sibi annuatim ad dictum festum sancti Michaelis libere redderetur sine contradictione alicujus. Que quidem pecia terre est juncta ex uno latere et attingit ex uno capite ad aliam terram dicti Petri Basirie et ex alio latere ad terram quam tenet Johannes Savari, ratione Eremburge uxoris sue, et attingit ex alio capite ad terram Mathei de Monroc ; et quod promittent iidem pater et filius ut idem canonicus et quicumque alius vel alii cui seu quibus redditum predictum dederit, elemosinaverit, vendiderit, seu quocumque alio titulo obligaverit, possint super duas acras terre predictas suam justiciam plenariam exercere pro dicto redditu, nisi sibi annuatim libere redderetur ad terminum assignatum ; eidemque canonico et alii cuilibet qui jus aliquod seu causam habuerit ratione ipsius canonici in redditu et duabus acris terre supradictis cesserunt omnia jura et actiones ipsis patri et filio et unicuique ipsorum in redditu predicto competentes et competituras ac penitus transtulerunt absque impedimento, reclamazione et contradictione aliqua a dictis Ricardo seniori et Ricardo juniori heredibusque suis et eorum quolibet super hoc decetero faciendis tridecima precii si contingeret hujus redditum nomine alicui in post[erum] finaliter dimitti ipsi Ricardo de Ysigneyo juniori, salva [...] iidem R[obertus] senior et R[obertus]

junior se quemlibet in solidum servaturos super premissis [...] canonicum et alium quemlibet in solidum qui ratione ipsius canonici jus aliquod [...] ibidem habuerint modis omnibus indemnem se quemlibet in solidum heredesque suos et bona sua omnia, mobilia et immobilia, prefato canonico et illis quorum interest ac interesse potest, ad hoc est propter hoc efficaciter obligando de premissis omnibus et singulis tenendis, faciendis fideliter et implendis, et de non veniendo contra juramentis a dictis patre et filio, et specialiter ab eodem filio pretextu minoris etatis, prestitis corporaliter coram nobis et nos ipsos R[obertum] patrem et R[obertum] filium exceptioni doli mali, fori falsi, cause non secute, circonvensionem et deceptionem cujuslibet, constitutioni duorum reorum debendi et promittendi, privilegiis cruce signati indultis ac indulgendis et aliis universis renunciantes ad premissa tenenda, facienda fideliter et implenda, juxta confessiones et obligationes spontanee inde factas ab ipsis patre et filio coram nobis prefato Juliano de Zancato condemnamus. Sigillum curie Constanciensis unacum sigillis dictorum patris et filii presentibus appendentibus in testimonium premissorum est appensum. Actum et datum Constantiis, anno et die martis supradictis. Qua die dicto R[obertus] senior prefato R[oberto] ejus filio auctoritatem ad premissa prestitit coram nobis. Actum ut supra de consensu parcium. Rasuram in hec verba «Roberti Basirie» in cauda sub sigillo nostre curie approbamus. Actum ut supra.